



**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum lapsus ex gratia vel charitate per peccatum mortale, & exurgens per pœnite[n]tiam resurgat ad equalem charitatem an ad maiorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

Magistri Durandi de Sancto Porciano

actui per quem meremur de congruo, vt charitas nobis in- fundatur, ergo per quodlibet peccatum mortale charitas habita corrumpitur. Secundo sic, omnis forma que nō im- plet totam capacitatem subiecti potest amitti, vt patet de formis generabilium & corruptibilium, quarū nulla implet totā capacitatem materiæ, & e contrario forma cœli que ad- implet totam capacitatem materiæ cœli secundum ponentes cœlum cōpositum ex materiæ & forma inamissibilis est, sed charitas viæ nō implet totam capacitatem voluntatis, sicut nec Fides in via implet totā capacitatem intellectu, ergo charitas viæ potest amitti. Tertiō sic, quæcumq; habent per se ordinē secundum prius & posterius, si prius est amissibile & posterius, sed Fides & charitas viæ habet per se ordinem talem q̄ charitas ex necessitate supponit fidem, secundum illud Heb. n. sine Fide impossibile est placere Deo, ergo cum Fides possit amitti à viatoribus conficiens est q̄ Charitas amitti possit. Item in pueris baptizatis sunt charitas & virtutes infuse saltē secundum habitum, sed pueri processu temporis possunt peccare mortaliter, & per cōsequens charitatem amittere. Alioquin omnes baptizati finaliter saluarentur quod est contra illud euangeliū. Multi sunt vocati, pauci verō electi, ergo Charitas semel habita potest amitti. Amittitur autem per hoc quod ex demerito peccati mortalis Deus subtrahit influentiam suam per quam Charitas in nobis fit & conferuatur. Et sic patet primum.

s. d. 12. q. 1.

7. Quantum ad secundum aduertendum est q̄ liber dicitur notitia diuina propter similitudinē ad librum materiale, de cuius ratione est q̄ representet aliqua per figuras quasi per quasdam similitudines. Et quia notitia dei ab æterno est de omnibus cogitatis, dictis, & factis, ideo ipsa dicitur liber, sed magis propriē respectu bonorū quā respectu malorum, quia in diuina notitia bona representantur per ideas proprias, quasi per suas similitudines, mala autē non, sed per modum priuationis. Et quia boni ordinantur ad vitā gloriæ quæ propriē & simpliciter erit vita que nō cōpatiatur secum mortē aliquam, cuius vitæ sola rationalis creatura est capax, & ad quā peruenit per opera bona, ideo notitia diuina de creaturis intellectualibus, vel rationalibus, quantum ad bona meritoria per quæ ordinantur ad gloriā dicitur liber vite, qui secundum rationē nostram distinguitur, quasi in duas paginas, quarum vna dicitur pagina presentis iustitiæ, alia verō dicitur pagina prædestinationis æternæ, secundum q̄ in creatura rationali potest inueniri duplex meritum, vnum finale, & secundum tale meritum dicitur aliquis scribi in libro vite, quoad paginam prædestinationis æternæ, & qui sic est scriptus in libro vite, nunq̄ dicitur ab eo deleri. Aliud est meritum quod quis habet in presenti, sed non perseuerat, & talis dicitur scriptus in libro vite, quantum ad paginā presentis iustitiæ, qui sic scriptus est dicitur deleri, quando per peccatum mortale cadit à merito quo sibi vita gloriæ debebatur.

8. Ad primum arg. dicendum, quod contra iustitiam est non reddere debitum, nisi legitima exceptio habeatur cōtra petentem, si autē habeatur legitima exceptio quando illa durat potest iuste denegari debitū. Contra istum autem qui in charitate fuit, sed à charitate decidit est legitima exceptio quod gloria ei nō reddatur, quia scilicet est in peccato mortali quod auertit à bono in cōmutabili, in cuius visione consistit gloria. Et ideo quando durabit ista exceptio iuste potest ei negari beatitudo, exceptio autem durabit semper, & ideo iuste semper ei negabitur gloria.

9. Ad secundū dicendum quod nō est simile de amore naturali, & de amore charitatis, quia amor naturalis fundatur in communicatione quæ fiat vel stare potest cū culpa, sed charitas oppositionem habet ad omnem culpam mortalem, quia charitas per se & directē conuertit hominem ad deum, peccatum autem mortale auertit hominem à Deo.

QVÆSTIO SECVNDA.

Vtrum resurgēs à peccato resurgat ad charitatem maiorem, an minorē, an æqualem illi à qua cecidit.

Thom. 2. q. 87. ar. 2.

Secundo queritur, vtrum cadens à gratia vel charitate per peccatum mortale & resurgēs per penitentiam resurgat ad charitatem æqualem, an maiorem, an minorem. Et arguitur quod nunquā resurgat ad æqualem, sed solum ad minorē, quia charitas incipiens minor est q̄ proficiens vel perfecta, sed cadens à charitate cadit à charitate proficiente, resurgens autē resurgit ad charitatē incipientem, ergo resurgit ad minorem charitatem.

1. Itē videtur quod semper resurgat ad charitatē æqualem, quia secundum Ambr. penitentia omnia ablata restituit. Sed hoc non esset nisi penitens ad æqualem charitatem resurgeret, ergo &c.

2. Item penitentia viuificat priora merita per peccatū mortificata, sed hoc nō esset nisi resurgat ad eandē charitatem, cum merita penitentur ex charitate, ergo &c.

3. Item videtur q̄ semper resurgat ad maiorē charitatem, quia ad Ro. 6. dicit Apost. q̄ vbi abundauit delictū, superabundat & gratia. Sed gratia nō dicitur superabundans nisi excedens penitentiam, ergo &c.

4. IN CONTRARIUM arguitur, quia per cōtritionem restituitur gratia, sed cōtritio peccatoris potest esse minor vel æqualis, vel maior, vel maxima, charitas ergo per eā, vel gratia meritorie restituta potest esse minor, vel æqualis, vel maior quā charitas amissa.

5. RESPONSIO. Quædā sunt quæ de natura sua includūt continuationē, sicut innocentia & virginitas, in nocentia enim est nunq̄ peccasse, & virginitas est semper abstinuisse à delectationibus veneris, & talia cū amittuntur nō possunt recuperari, quia cadere in eis interruptio, quod est contra rationē sue continuationis. Et ideo innocentia perditā non recuperatur, nec virginitas, & in his nō habet locū questio. Gratia autē seu charitas de sua ratione non includunt continuationem, & ideo cum amittuntur per peccatū mortale, recuperari possunt per penitentiam in æquali gradu, vel maiori, vel minori. Cuius ratio est, quia per bona opera ex genere præcedentia charitatem meremur de congruo charitatem nobis dari secundum modū conatus voluntatis. Nunc est ira q̄ nō habēs charitatem potest secundū libertatē arbitrii & diuini adiutorij habere conatū de congruo respondentem charitati minorij, vel æquali vel maiori ei quæ prius habuit, ergo potest resurgere ad charitatē maiorem, minorē, vel æqualem, secundum modū conatus sui, vel diuini adiutorij.

6. Ad primum argumentū dicendum q̄ charitas incipiens semper minor est, q̄ sit ipsamet dum est proficiens vel perfecta. Sed charitas incipiens in vno potest esse perfectior quā charitas proficiens in altero, & eodem modo in eodem homine charitas proficiens in resurgente potest esse æquē perfecta vel perfectior quā charitas à qua prius cecidit per peccatum.

7. Ad secundum dicendum quod penitentia restituit omnia que sunt de necessitate salutis, non tamen oportet quod æqualia.

8. Ad aliud dicendum q̄ dato quod penitentia viuificat priora merita per peccatum mortificata, non oportet tamen q̄ restituat æqualem charitatem, quia valor meritorum præcedētium pensabitur secundum charitatem in qua facta fuerunt, & non secundum charitatem in qua penitens resurgit.

9. Ad aliud dicendum quod Apost. loquitur de gratia redemptionis factæ per Christum, quæ superabundauit respectu peccati primi hominis, & non loquitur vniuersaliter.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum habitus fidei remaneat vel possit remanere in patria.

Thom. 2. q. 87. ar. 3. & 5.

DEIN de queritur de euacuatione charitatis per gloriam in beatis. Et circa hoc queruntur quatuor. Primum est vtrum fides euacuetur per gloriam. Secundum est vtrum spes euacuetur. Tertium est vtrum charitas remaneat in beatis. Quartum vtrū sciētia euacuetur in patria. Circa primū queruntur duo. Primū vel vtrū habitus fidei remaneat vel possit remanere in patria. Secundum est vtrum actus fidei possit in patria remanere. Ad primū sic pro

in a. d. 20. q. 2.